

“ptum data est, et ante illum moreretur, vniura non esse non potuit; Si non erat virgo, sed alterius vidua, tunc vniura esse non potuit, quae binos maritos habuisset. Vniura ergo et in hac et in aliis inscriptionibus, quas ponunt viri vidui, illa est, quae virum vnice colebat, amabat, et iura connubialia sanctissime asseruabat.” Ad hunc modum Paulus etiam, qui secundas nuptias, quod nec facere debebat, nusquam reprehendisse, sed suasisse potius, legitur, *εὐος ἀνδρος γυναῖκα* eam viduam dicit, quae maritum suum, quoad vixerat, vnice luerat, amauerat, et iura connubialia sanctissime conseruauerat. Quare et *μίας γυναῖκος ἀνήρ* is est, qui solam et vnā coniugem suam vnice colit et amat, vel, si viduus nunc sit, coluit quondam et amauit, nec vlla ratione iurium connubialium religionem violat, vel violauit.

Sententia nostra de sensu verborum paulinorum: *μίας γυναῖκος ἀνήρ*; exposita, et, quantum licuit, confirmata, ad id, quod descriptioni huic occasionem dedit, accedimus. Indicendi VOBIS, VIRI SUMME VENERABILES, PLVRIMVM MULTVMQVE REVERENDI! sunt labores circulares, hac aestate subeundi, et, si vitam viresque summus omnium rerum arbiter concesserit, etiam perficiendi. In dioecesi PALAEOGAEA generalis ecclesiarum et scholarum visitatio instituetur. Dictus huic labori, in parochia HOLLERENSI inchoando, est V. Iulii. Reliquae huius circuli parochiae hoc ordine sibi inuicem succedent: TWIELENFLETHENSIS, GRVNEDICENSIS, STEINKIRCHENSIS, NEVKIRCHENSIS, MITTELNKIRCHENSIS, IORCENSIS, BOSTELSENSIS, ESTEBVRGENSIS, NEVENFELDENSIS, APENSENENSIS, BLIEDERSDORFIENSIS, HORNEVRGENSIS. In dioecesibus BREMENSI, VERDENSI, et OSTERSTADENSI synodi habebuntur. Et in BREMENSI quidem ipsis Cal. August. ad loc. XXII. et XXVI. com-

com-